

Biblioth. publ.

422,6

2449

449

25

De

MSn.

INCREMENTIS
BIBLIOTHECÆ
GEDANENSIS,

EPISTOLA ET COMMENTATIO

SAMUELIS SCHELGUIGII,

In Athenæo Philos. Primæ & Pract. Prof. P. ordi-
narii & SS. Theol. extraordinarii, itemq;
Bibliothecarii.

GEDANI.

Typis DAVID-FRIDERICI RHETII.



Ad

*Virum perquam Magnificum, Genero-
sum atq; Strenuum,*

**DN. CHRISTIANUM
SCHROEDERUM,**

Præconsulari officio d. XVI. Februarii
M. DC. LXXVII. unanimi Senatus incluti
voluntate admotum,
cum ab Ipso


PROTOBIBLIOTHECARIUM MUNUS,

quod hætenus

in

SCHOLARCHALI COLLEGIO,

summâ fide faustisq; successibus gesserat,
deponeretur.



MAGNIFICE DOMINE,

Sapientissimè Majores instituerunt, ut suprema Bibliothecæ publicæ cura, ab aliquo, ex augusto SENATUS Collegio, susciperetur. Neq; enim levis momenti est, prouti mortalium levissimis videtur, officina illa, in quam regina Sapientia, opes & thesauros suos reponit: ad quam, ceu ad Phœbi cortinam, in dubiis quibuscunq; responsa petituri tutò accedunt Theologi, Jureconsulti, Medici, Philosophi, verbo Boni omnes, quotquot à mortuis, rectè vivendi agendiq; modum accipere non erubescunt: cujus Præfectura Romæ tanti fit, ut à Pontifice Maximo, non nisi Cardinalibus eminentissimis, quales Vaticanæ Curatores, Casar Baronius, Robertus Bellarminus & antequàm Papale culmen conscenderet, Gregorius II. fuere, demandetur. TE, quidem, Vir Magnifice, cum prius illustre documentum dexteritatis in rebus agendis & amoris erga rem literariam, edidisses, ordinato Gymnasii ærario, cujus rationes, ut fieri solet, bellorum injuriæ admodum confuderant, PATRES PATRIÆ, huic Provinciæ, anno salutis reparatæ M DC LXV, Mu-
A 2 sis

sis plaudentibus, admoventur; quam ab illo tempore
 ita exornasti, ut administratio Tua immortale seculo or-
 namentum attulerit. Nihil oculis auribusve à me
 dari, nihil ultra verum extolli, multa etiam consultò
 reticere, tot egregii omnium ordinum Viri, qui inter
 libros, animi recreandi caussa, hætenus frequenter
 convenerunt, calculo suo testantur: Quorum aded can-
 didis suffragiis, quasi Orci galea, adversus invidiam
 tutus, Bibliothecæ nomine, quam mihi subdelegata, ut
 sic loquar, autoritate curandam, clavibus traditis,
 commisisti, nunc ubi contra animi Tui sententiam, sed
 ex sententiâ DEi, & Senatus incluti, ad altius mu-
 nus ac Praconsularem apicem promoveris, gratias,
 quas mens concipit, maximas habeo. Tribus gradibus
 ad adytum Justitiæ illius, à quâ grati appellamur,
 ascendi docent, primùm memoriâ, hinc laude, tandem
 retributione acceptorum beneficiorum. Ignosces, Pa-
 trone Maxime, si ad summa contendenti, deficientibus
 animi nervis, in secundis primisve sit subsistendum.
 Conabor tamen, quid valeant humeri, quid ferre recusent,
 & in recensione meritorum Tuorum, oculos duces sequar;
 quos si quæ in Bibliothecâ effugerint, (effugient autem
 plurima) quæso ne calamum innocentem ignavia postu-
 les. Fixere sibi jampridem Muse & Gratia apud
 nos hospitium: Ut molliùs splendidiùsq; degerent, Pictorum

& Scri-

¶ Scriniariorum operâ effecisti. Ipsa libraria supel-
 lex, proh DEum immortalem! quantum locupletata,
 quàm raris voluminibus, quàm multis? ut alicubi jam
 plutei defecerint, ¶ ad confusionem fuerit relaben-
 dum, nisi ex intempestivo ordinis amore, libris carere
 voluissemus. Hac in parte providentiam Tuam sepè
 miratus sum: Tantum enim abest, ut quod plerique
 Eruditorum facere consueverunt, uni alicui aut alte-
 ri etiam arti nimium addictus, ceterarum monumen-
 ta literaria neglexeris; ut potiùs equali, omnium fa-
 cultatum, quas vocant, atque disciplinarum curâ, Biblio-
 thecam publicam à privatâ sollicitè semper distingueres.
 Suppetebant nonnulla manu olim scripta, neq; typis lite-
 rato orbi, aut certè minus fideliter, hætenus communi-
 cata: Ea reposito hunc in usum recens constructo ¶
 eleganter adornato, intulisti, imo ¶ auxisti cumulati-
 us, quàm intra tam exiguum temporis spatium fieri
 posse, sperassem. Nihil dicam de Pinacothecâ
 nummorum, rerumq; mirabilium, naturâ aut arte fa-
 ctarum, Tuo auspicio fabricatâ ¶ primum apertâ;
 cui si multa deesse, non invitâ veritate quis censebit,
 idem simul cogitet, se ¶ Bonos quosvis, ad auxilium fe-
 rendum, ab indigentia nostrâ invitari. Tu quidem,
 Magnifice Domine, non saltem ut pecunie publicæ fide-
 lis dispensator, Bibliothecæ impendisti, quæ paterna Se-

natus ordinatio, aliorumq; pietas, incremento ejus destinavit: verum privato etiam are, aut cum rerum, quas possidebas, jacturâ, ut Majorum exemplis insisteres & Posteritati exemplo fores, affectum erga literas propensissimum abundè es testatus. Imagines Jacobi Regis Angliæ, Stanislai Hofii Cardinalis, Johannis Zamoiskii Herois Arte & Marte incluti, Leonis ab Aizma & Joh. Chemnitii Secretarii, de Bibliothecâ nostrâ præclarè meriti, à Te donatas, nolo commendare; neque etiam Arnoldi Geilkerckii Tabulam geographicam Palestinae, omnium quas vidimus hucusque curiosissimam: Non prædicabo nummos antiquos & recentes, liberalitatis Tuae indices; non alia magno numero: Soli libri animum defixum tenent, tam cari, quam utiles, Cedrenus & Curopalates, duæ operis Byzantini, quod prope modum complevimus, partes haud postremæ; Klockii Consilia, in quatuor vastos libros divisa: Mævii decisiones: Codices aliquot manu exarati. Hos cum intueor, subinde Epigramma uni eorum à me insertum, Bibliothecæ accino:

Hæc Tibi SCHROEDERUS, sancti monumenta favoris
 Ille Tuus sistit nomine reque Pater:
 Si celebras tanti virtutem nominis, id quod
 Tam malus omnis agit, quam bonus omnis, agis.
 Ferè excidisset scribenti, quam inter præcipua laudis

Tuae

Tua refero, insignis humanitas in Bibliothecâ inuisendâ, quâ accensi non pauci, laudatissima vestigia presserunt, factumq; aded est, ut nunquam illis diebus, in quibus ex lege adeundi libros copia datur, in arceis fuerit solititudo. Ut brevibus me expediam, explesti omnes functionis Tuæ numeros, ulterius ipso opere progressus, quàm Argus aliquis, è terra navigium regens, emisistiis oculis penetrabit: in hoc saltem infelix, quod Virtutibus Tuis laudator minus disertus contigit, cujus incomto calamo, maxima Tuæ merita, maximè tenuantur. Enimverò cœlestibus animis affectus, pro effectu est. DEum rogo, Patrem Domini nostri Jesu Christi, ut Te, Vir Magnifice, Reipubl. Ecclesiæ & quas impensè amas, Scholis, diutissimè servet, labores pro Gymnasio & Bibliothecâ exantlatos largo fœnore remuneretur, curas quibus jam implicaris, secundet, Teq; vas misericordiæ suæ bedignissimâ manu efficiat: Id quod juxtâ TEcum, animo devoto apprecor, toti SENATUI augusto, Dominis & Patronis meis gratiosus. Gedani ex Museo d. X. Martii, Anno salutis partæ MDC LXXVII.

COMMENTATIO HISTORICA,
five
ANNALES
INCREMENTORUM
BIBLIOTHECÆ
GEDANENSIS.

Locus Bibliothecæ auspiciatò deligebatur, anno superioris seculi nonagesimo sexto, Rempubl. tractantibus, Viris ex ipso etiam, quod moliebantur, opere Magnificis, Dominis *Johanne de Lindá Præside, Gerharδο Brandes, Constantino Giesio, & Daniele Czierenbergio, Præconsulibus; Petro Behnio, Michaële Rogge, Melchiore Schachmanno, Johanne Schwartzwald, Adolpho Hoppio, Georgio Mehlmanno, Gerharδο Czimmermanno, Michaële Rosenberg, Salomone Brandt, Johanne Thorbeck, Bartholomæo Schachmanno, Daniele Heinio, Simone Klugio & Georgio Proitio, Senatoribus sive Consulibus.* Inter causas, quæ laudatissimis Conditoribus, ad rem tantæ molis & expectationis, grandi animo ordiendam, stimulos imò faces subjecerint, vetustus Memorandorum liber, has testatur eminuisse: ut in omnes tam Veteris, quàm Nøvi fœderis partes, varia sacrarum explanationum opera, aliarumque disciplinarum, artium & omnis doctrinæ instrumenta præclara, nec non egregia volumina tam recentis memoriæ Eruditorum, quàm veterum nobilioris notæ Autorum, quibus vel hominum incuria & iniquitas, vel temporum nihil non oblitterantium injuria

injuria, interitum afferre posset, salva & integrâ servarentur ac ad posteros transmitterentur; Gymnasio item huic cæterisque Scholis decus, urbi ornamentum, Studiosis aliquod ad laudis gloriæque cupiditatem incitamentum & commodum adferretur.

PATRES imaginem Bibliothecæ magis, quàm Bibliothecam fecerant, deficientibus libris; cum fato urgeretur *Johannes Bernhardinus Bonifacius, Oriæ Marchio, Italus.* Ille Regni Neapolitani magnus Justitiarius, sive ut Latiniùs eloquamur, supremus Prætor, Terrarum item Casalis novi & Franchavillæ Dominus fuerat, qui Romano Pontifici & Imperatori Carolo V. ob summam virtutem doctrinamq; gratus, mox Evangelii causâ, Jesu Christi exul, totos XL. annos tyrannidem persecutorum fugiens & securitatem quærens, invictâ quidem fortitudine animi, sed corpore infirmo, opibus exhaustis, oculisque captus, vix non omnia totius Europæ regna perreptaverat; donec anno MDXCI d. XXV. Augusti, in ipso portu Gedanensi impingens, naufragioque facto, hîc sibi demum quietis securitatisque locum monstrari cerneret. Benignè itaque ab incluto Urbis Senatu susceptus, & septennium liberaliter nutritus, Bibliothecæ suæ è naufragio ereptæ, reliquias, cum aliud non posset, gratitudinis ergo dedit & dicavit. Quibus initiis non tenuibus, læti PATRES, effigiem Defuncti, qualis ferali indusio amictus, penicillo artificis delineabatur, primam omnium, in Bibliothecâ novellâ, adjecto BENEFACTORIS elogio, dedicarunt. Epitaphium ei in æde SS. Trinitatis, Dn. Bartholomæus Schachmannus posuit.

Anno abhinc altero M D XCVII. tres simul privatae Bibliothecæ, Clarissimorum Virorum, Henrici Lemkii J. U. D. ac Syndici, M. Alexandri Glaseri Theologi & M. Caspa-
 B ris

ris Schützi Secretarii, *ere publico* paratæ, cum publicâ coa-
luerunt; quo tempore in fastis nostris celebratur liberali-
tas Dn. *Georgii Brandes Præcos.* & magis adhuc Dn. *Bartho-
lomæi Schachmanni* Cos. quibus ex privatis adjunguntur Dn.
Curtius à Robert Senior, Georgius Kreick & Albertus Frese polio.

Annus M DXCIIX præter Serenissimi Daniarum Regis
Christiani IV. Legatum excellentissimum, *Nicolaum Cragum,*
inprimis illustratur beneficiâ Dn. *Gerhardi Czimmermanni*
Senatoris & Dn. *Ioh. Czierenbergii*; deinde etiam Dn. *Wilhel-
mi Rutowetz ab Auraz* & Dn. *Pauli Scretæ à Zaworitz* Bohemo-
rum, itemque *Ioh. Meyt.*

Annum MDXCIX exornant Dn. *Gualtherus ab Holten,*
Scabinus & Dn. *Wilhelmus à Koldum Junior,* civis Gedanensis.

Seculum XV. in Catalogo Fautorum claudunt Dn. *Simeon
Theophylus Turnovius,* Ecclesiarum Reformatarum majoris Po-
loniæ Superintendens & Præpositus Ostrorogensis, cum *Fri-
derico Hüttfeld,* cive nostro

Anno MDCCI. splendidis muneribus nomen posteritati
commendarunt Dn. *Michael Rosenberg* Cos. & Dn. *Ioh. Aich-
lerus,* Stanislaw Aichleri ab Aichenbaum Filius: quibus me-
rentur subnecti Dn. *Georgius Mehlmannus* & Dn. *Andreas Borck-
mannus* Coss. cum Dn. *Michaële Schmidt* Patritio.

Anno altero hujus seculi Bibliothecam locupletarunt
Dn. *Daniel Czierenberg* Præcos. itemque Dn. *Ioach. Wendland.*
& Dn. *M. Andreas Calagius.*

Annus M DC IV. tam sumtibus publicè factis à Collegio
Scholariali, quàm privatim à Dn. *Ioh. de Lindâ* Patritio &
Dn. *Ioh. Heydenreich* Mercatore insignis fuit.

Anno M DCV Dn. *Georgius Liefemannus* Senator &
Scholarcha, Dn. *Henricus Hein,* Scabinus primariæ civita-
tis, Dn. *Ioh. Piscator* Theologiæ in illustri Scholâ Herbor-
nensi

nenſi Profeſſor, Dn. *Barthol. Keckermannus* Philoſophus Ge-
danenſis, Dn. *Philippus Lack* Secretarius, Dn. *Daniel de Mares*
Civis & Mercator, affectus ſui erga rem literariam monu-
menta erexerunt.

Anno MDCVII. Dn. *Ioh. Speimannus* Coſ. & Scholar-
cha autoribus plurimis & egregiis theſaurum librarium
auxit.

Anno M. DC. IIX. præterquàm quod benevolentia
Dn. *Reinholdi Kleinſeld.* Secretarii & Dn. *Jacobi Weimar* civis
innotuit, Bibliotheca inſuper è libris, qui publico aliunde ac-
creverant, locupletior facta eſt. Eodem & ſequenti An-
no, diverſis vicibus, notabilem librorum copiam, *Magnificus*
Senatus pro Bibliothecâ coëmit.

Annus M. DC. X. novum exemplum exhibet beneficii
à VIRGINE, *Elisabethâ Brandeſiâ*, profecti, eò quidem
clarius, quod pulcherrimum factum nemo ſexus ejusdem
hactenus imitando expreſſit. Bibliothecæ verò non ma-
gis gratum eſt, libros à Fœminis, ut ab *Heloisâ Abelardi* Con-
juge, ab *Olympiâ Fulviâ*, ab *Annâ Mariâ Schurmanniâ*
&c. ſcriptos poſſidere; quàm à *Brandeſiâ* aliisq; pari grefſu
ad nominis immortalitatem contendentibus, donatos.

Anno M. DC. XI. habetur nomen Dn. *M. Joh. Coleti.*

Anno M. DC. XIII. liberalitas *Magnifici Senatus* cele-
bratur.

Annum M. DC. XIV. Dn. *Bartholomæus Brandt* & ſequen-
tem M. DC. XV. Dn. *Eggertus à Kempen*, uterq; Senator &
Scholarcha, munificentiam ſuam decorarunt.

Anno M. DC. XVII. Bibliotheca *Christiani Albin*
emta & cum aliis libris, à *benefico Magiſtratu* comparatis,
Bibliothecæ publicæ illata eſt. Accessit liberalitas Dn.
Danielis Weiti Procuratoris, Dn. *Balthasaris andrea* & Dn.

Johann. Krause, Bibliopolarum; itemq; *Juvenis*, ut laudatur; ornatisimi, *Michaëlis Knofii*.

In Annum M. DC. XIX. Dn. *Nicolai Junckeri* Civis, donum incidit; & in sequentem M. DC. XX. Dn. *Henrici Artissophini* Medici.

Anno M. DC. XXV. Dn. *Petrus Crügerus* PP. & Reipubl. Mathematicus, libros quosdam à se editos obtulit.

Anno M. DC. XXVII. Providentia Collegii Scholarchalis annotatur.

Anno M. DC. XXXII. & M. DC. XXXIII. Amplissimus *Senatus*, insigni accessione Bibliothecam suam amplificavit, primùm libris è Bibliopolio *Balthasaris Andreæ* demortui huc translatis, deinde integrâ Bibliothecâ M. *Bartholomæi Nigrini*, ære publico redemtâ.

Anno M. DC. XXXIV. libris, qui Bibliothecæ haud proderant, divenditis, aliisq; in eorum locum coëmtis, Jurconsultorum paucitati consulebatur. Eodem tempore libri nonnulli, tanquam derelicti, Bibliothecæ adjudicati sunt. Nec prætereundum est ingrato silentio, munus lautum Dn. *Georgii Mehlmanni à Mulbach*, quem præcesserat Dn. *Petrus Kirstenius* Phil. & Med. D.

Anno M. DC. XXXV. Dn. *Nicolaus Zorawski* Phil. & Med. D. Græcæ linguæ in Academiâ Cracoviensi Professor & Serenissimi Regis *Vladislai*, felicis memoriæ, Mathematicus, itemq; Dn. *Joachimus Henricus à Danwitz*, libros libris benevolè adjecerunt.

Anno M. DC. XLI. Dn. *Ioh. Botsacens* SS. Theol. D. libros ab aliis conscriptos Bibliothecæ consecravit, quibus subinde, annis sequentibus, eruditos ingenii atque industriæ suæ foetus subnexuit.

Anno M. DC. XLII. Dn. *Andreas Chæne Iaski*, Electoris Brandenburgici Consiliarius, libros paucos, sed magni pretii legavit.

Anni

Anni à M. DC. XLIII. usque ad M. DC. XLVII. singuli, de paterno affectu, *Magnificorum Patronorum*, erga Bibliothecam suam, pleno ore loquuntur.

Ornamentis anni M. DC. XLIX accensemus Dn. *Davidem Oelhafium*, Civem Gedanensem, qui postquam legato pio, sustentationi pauperum Studiosorum prospexisset, quâ charitate prorsus Christianâ, adhuc duo Juvenes, Alumnorum Oelhafianorum nomine insigniti, fruuntur; quasi parùm fecisset, ad promovenda etiam Bibliothecæ incrementa animum applicans, mille florenos ordinavit, unde libri optimi compararentur; quorum adeò partem hoc anno accepimus, alteram anno M DC LIV.

Anno MDCL. Dn. *Ernestus Andrea*, ad D. Petri & Pauli Ecclesiastes, Gedano discessurus, Bibliothecæ duos globos reliquit,

Annus M DC LVI. honoratur legato verè magnifico, Dn. *Constantini Ferberi*, Præconsulis Senioris & Protoscholarchæ. Inter libros, nobilissimæ illius familiæ insignia ferentes, nihil humile, nihil plebejum.

Intervallum ab Anno M DC LVII. usque ad Annum M DC LXIX. occupatur à variis Benefactoribus. Primum locum *Magnifici Patroni* tenent, in augendâ Bibliothecâ antiquum obtinentes. Proximi sunt vitâ prolixâ dignissimi Dn. *Gabriel Krumhausen*, Præcos. rarioris eruditionis amator, qui ad accendendum Matheseos studium, instrumenta quædam accurata, in Musarum sacrario suspendit; nec non *Joh Hevelius*, Cos. Astronomus incomparabilis, qui donato Platonis opere, fructibus quos ex ingenio Ejus Bibliotheca hætenus diversis percepit vicibus, prælusit. Sequitur Munificentia *Consiliu bellici*, ex quâ admirabile Artis & Martis

in civitate nostrâ, commercium elucet. Huc quoque referimus iteratam liberalitatem Dn. D. *Johannis Botsacci*, itemque Dn. D. *Johannis Maukisch*, Gymnasii Rectoris, & Dn. *Laurentii Etchstadii*, Physici & PP. quorum hi libros à se editos, ille etiam Rabbinicos quosdam, largiebantur.

Eodem tempore Bibliothecæ, supra integrum lustrum, præerat Dn. *Adrianus Engelke*, Cos. & Scholarcha, cujus erga bonas literas amor, facundiam laudatoris, etiam eloquentissimi, longè supergreditur. Is in lucro tempus omne deputabat, quod honestè evitatis aut superatis, Curix molestiis, in Bibliothecâ nostrâ transigere poterat, ubi subinde cibum capiebat, sæpiùs cibi prorsus obliviscebatur. Diligentix illius debemus, concinniozem librorum dispositionem, unâ cum indicibus, quos animam Bibliothecæ meritò dixeris. Idem quoque vivus ac valens, privatam Bibliothecam, à morte suâ, publicæ inferri jussit, quod pii hæredes, citra reluctantiam, præstiterunt; inter quos eminet Dn. *Benjamin Engelke*, Cos. & Scholarcha, qui thesaurum Engelkiano nomine appellatum & in peculiari thecâ perpetuò asservandum, ex voluntate & ordinatione Fratris sanctè defuncti, hætenus benignè auxit, atque porrò, quod Deus incolumem, multis adhuc annis, facere sinat, ad propagandam familiæ, imo Dei ipsius gloriam, augebit. Nos alienæ virtutis admiratores, quotiescunque laudatissimum tanti beneficii Autorem, ab artifice depictum, intuemur, illud Horatii, leviter immutatum, ingeminare solemus:

Vivet extento celebrandus ævo,
 Notus in libros animi paterni.
 Illum aget pennâ metuente solvi,
 Fama superstes.

Nondum interstitium temporis, in quo versamur, deserimus, ad quod nimirum dona alia, certiorum annorum, pertinent.

Sic

Sic Anno MD CLIX. inclaruit pietas *Dn. Joh. Ernesti Schmieden*, tum Centumviri, jam COS. & Scholarchæ, à quo, utpote Viro eruditissimo & eruditorū amante, Gymnasium sibi optima quæq; pollicetur. Annus M DC LX. *Dn. M. Ioh. Kæpenum* commendat. Anno M DC LXVI. *Dn. Philippus Pels*, Celsissimorum Ordinum Fœder. Belgii Commissarius Gedani Residens, Literarum æstimator, liberalitatis solidum jecit fundamentum, cui Anno M DC LXXV, novam molem superstruxit.

Ab Anno M DC LXII. usq; ad Annum M DC LXVII. *Dn. Joh. Thilius*, Vratisl. Siles. Juris apud nos Practicus, suadore & direttore liberalitatis *Dn. Joh. Petro Titio*, Eloq. & Pœeseos PP. singulis nundinis, constitutam ultrò pecuniam, ad comparandos Autores rariores & Bibliothecæ utiles, eâ lege numeravit, ne Libris nomen Donatoris inscriberetur; cui modestiæ morem gerens Celeberrimus Philologus noster, mortuo demum Viro optimo, mysterium, quod hæctenus in fronte voluminum coëmptorum, ut versus quartus habet, soli DEO servaverat, hominibus etiam, ceu par erat, detexit, sequenti Epigrammate;

En sancti veneranda Senis donaria, Lector,
 Candida *Thilene* munera cerne manus!
 Ille quidem nomen voluit titulumq; taceri,
Uni se notum, qui cupit esse DEO.
 Muta tamen raram sepelire silentia laudem,
 Posteritas meritò dixerit esse nefas.
 Cætera munificæ præconia transeo dextræ,
 Largamq; innumeris auxiliantis opem.
 Hoc postquam ereptum Caput est, (vox insonat una)
 Ecquis erit pulchras promptus obire vices?

Nunc

Nunc demum ad nova tempora progressis, A^o MDCLXX. splendidum Dn. *Joh. Chemnitii* Secretarii Senioris legatum, oculis obversatur. Effigiem magni viri, summus Virtutis admirator & imitator in Bibliothecâ erexit.

Annus MDC LXXI. memoriam curæ & sollicitudinis *publica* pro Bibliothecâ conservat.

Anno MDCLXXII. affectum erga literas, more Majorum, donis luculentis declararunt Dn. *Joh. Schwartzwald* & Dn. *Constantinus Ferberus* Consules, quos benignissimum Numen Reipl. diu atq; feliciter superesse jubeat. Accesserunt etiam libri denuò *publicâ pecuniâ* parati.

Annum MDCLXIII. illustriorem reddidit Dn. *Adrianus de Lindâ*, Præcos. Senior atque Protoscholarcha Gedanensis, nec non Regius Mirachoviensium Gubernator, literarum Fautor maximus, idemq; literatissimus, jam IX. Præses; utinam adhuc sæpius! Donabat verò effigiem Barth. Keckermanni, cui Lutherum & Melanctonem præmiserat, ac non ita pridem Theophrastum Paracelsum vetusti operis, cum muneribus aliis adjunxit.

Anno MDCLXXIV. Dn. *Georgius à Bæmeln* Præconsul, Germanica Biblia Lubecæ 1494. impressa, Bibliothecæ consecravit.

Annus MDC LXXV. præter Dn. *Christianum Schræderum* Protobibliothecarium, ac Dn. *Michaelem Bæhmium à Behmfeld* Consules, summè meritos, itemq; Dn. *Barthol. Franckium*, tunc Syndicum, Benefactoribus pluribus abundat, eo à nobis ordine recensendis, quem tempus oblatores munerum commonstrabit. Prodeant ergò in lucem nomina felicia Dn. *Joh. Heckeri*, Scabinorum Palæopolitanorum Senioris, Dn. *Simonis Wetsii*, Ecclesiastæ Thorunensis, Dn. *Israelis Conradi* Med. D. qui, ut libros fileamus, congerendis naturæ

naturæ artisque operibus, ut & tabulis geographicis, primam manū admovit, ac benevolentia hucusq; continuavit; Dn. *Georgii Segeri* Phil. & Med. D. Physic Ordin. ac PP. qui liberalitatem, etiam ultra libros à se editus, hoc & sequenti anno extendit; Dn. *Andrea Kabne Jasku*, qui similiter utroque anno magnificentissimum se exhibuit & porrò amorem favoremque Bibliothecæ promisit; Dn. M. *Joh. Neunaebhari*, Ecclesiarum Thorunensium Senioris & in Gymnasio Professoris; Dn. *Adriani Pauli*, Theol. Doct. & Ecclesiæ Petrinæ Pastoris; Dn. M. *Joh. Herbini*, Ecclesiæ Grudentini; Dn. M. *Joh. Holtzmülleri*; Dn. *Elia Constantini de Trewen Schræderi*; Dn. *FridERICI Sanderfonii*, Angli, cujus beneficentia extra hujus anni cancellos, cum Autoris laude, porrigitur; Dn. *Salomonis Wahlii*, Reip. Centumviri; Dn. *Christiani Rostencheri*, Jurium Licent. Gymnasii Inspectoris & PP. qui lucubrationibus suis comites, libros aliquot eximios, esse voluit. Hoc & altero anno, iterum Bibliothecæ incrementum *are publico* notabiliter promotum est.

Annum M DC LXXVI. liberalitas Dn. *Christiani Schræderi* Protobibliothecarii incipiebat. Secuti sunt non solum, quos in antecedenti anno nominavimus aliqui; verum etiam Dn. *Joh. Vorstius*, Rector Gymnasii Coloniensis ad Spream & Bibliothecarius Electoralis; Dn. *Sigismundus Schultzius* Med. D; Dn. *Petrus Pantelius* Med. D; Dn. *Ludovicus von Hammen*, Phil. & Med D. qui hoc ipso, quo vivimus, anno benevolè ad ingenium rediit; Dn. *Joh. Georgius Wahlius*; Dn. *Fridericus Vincentii Filius Fabritius*; Dn. *Joh. Kuricke*. Merebatur primo celebrari loco, nisi ratio temporis obstitisset beneficium Dn. *Joh. Schmidt*, D. & Reip. Physici primarii, qui in fundo suo fontem Bibliothecæ aperuit, ex quo propediem haud contemnenda pecunia haurietur. Nec obliterandus

C

est

est affectus Dn. *Christiani Hanemanni*, Phil. & Med. D. qui ut manibus contrectaremus, quod in Spigelio, Veslingi, Bartholino &c. oculos suspensos tenet, sceleton humani corporis obtulit. Sub ipsum anni exodium Dn. *Marcus Fels* J.U. D. & in Grœningensi Academia Historiarum PP. memor Patriæ suæ Gedani, ut in Patriâ vicissim memoria grati filii conservaretur, centum florenos Bibliothecæ suâ sponte donavit. Ferè præteriissemus tubam Stentorophonicam, quam ex Angliâ, præter honoratos quosdam viros, quorum antea facta est mentio, advehi curarunt Dn. *Michael Gehtke*, Dn. *Constantinus Frederus*, uterque hodie primariæ Civitatis Scabinus, Dn. *Godofredus Reygerus*, Dn. *Carol. Frider. Schmieden*, Dn. *Georgius Schræderus*, Dn. *Sigismundus Israel Kirjenstein*.

Vix Annum M DC LXXVII. exorsi eramus, cum à Dn: *Edwards Rüdiger* Cos. effigies Nicolai Copernici, ad vivum, ut ferunt, expressa, manu benignâ mitteretur. Successerunt alii & succedent plures, quos ex Catalogo Favorum, cui studiosè inseruntur, nulla unquam eradet oblivio: Ex eorum benignitate

Exsurget monumentum ære perennius,
Mortalique situ Pyramidum altius,
Quod non imber edax, non aquilo impotens
Posit diruere, aut innumerabilis
Annorum series, fugaque temporum.

Nos interim sufflaminamus calamum, ad meditationes sacras, quibus impensiùs delectamur, reversuri. Unum obnixè rogamus & obtestamur, ne quis finistrè interprete-
tur, quod à consuetudine seculi nostri paululùm defle-
ctentes

ctentes, honorum titulos, quibus in civili vitâ jure distin-
guimur, addere neglexerimus. Animadvertent cordati,
quàm tædiosum lectori æque ac scriptori fuisset, cram-
ben apponere toties coquendam. In nonnullis tamen
coacti sumus, à melioris ævi genio recedere, ne nimis
delicati videremur. Reliqua Erasmus excusabit, inqui-
ens: *Quis nescit Reges esse invictissimos, serenissimos; Abbates
venerabiles: Episcopos reverendos: Cardinales reverendissimos;
Pontifices sanctissimos (atque ita in cæteris) Hæc igitur, ut
illa, invictissima Majestas, reverendissima Dominatio, gratio-
sissima celsitudo, reverenda paternitas, non modò vitiant la-
tini sermonis puritatem, sed lectorem etiam super-
vacaneis & molestis onerant.*

DEO GLORIA.

Ne ultima vacarent, adjecimus tres In-
scriptiones Bibliothecarum celebrium,

I. VATICANÆ Pontificis:

Uti unicum bonum scientia est: ita inscitia
malum. Dormiens homo nullius est pretii.

II. FLORENTINÆ Mediceorum:

Cosmus in has ædes meliora volumina κόσμος
Transtulit & primas, quas habet orbis, opes.
Sic genuit tandem, sterili de nomine, Cosmus
Rem sibi, tùm mundo cœlitibusque parem.

III. BREIDENBERGICÆ in Cimbriâ,
Ranzoviorum:

Salvete, aureoli mei libelli,
Salvete, ex quibus hæc mihi voluptas
Ævum percipitur per omne grata,
Quàm vos intueor libenter & quàm
Lubens colloquor! Ecquid æstimandum est
Curis esse beatius solutis?

